



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod de costa multiplicata in se sine additame[n]to extrinseco facta fuerit. De causis superioribus & inferioribus. E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

*in principio.
G o. ord. ad
illud Gen.
2. Costam
quam tulerat.*

formata est: vt ostenderetur, quia in consortium creabatur dilectionis, ne forte si fuisset de capite facta, viro ad dominationem videretur preferenda: aut si de pedibus, ad seruitutem subiicienda: Quia igitur viro nec domina, nec ancilla parabatur, sed sociam: nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: vt iuxta se ponendam cognosceret, quam de suo latere sumptam didicisset.

Quare dormienti, & non vigilianti costa subtracta est.

*Aug. lib. 9.
c. 13. de Ge-
nesi ad litem.*

Non sine causa dormienti quoque viro potius quam vigilianti detracta est costa, de qua mulier in adiutorium generationis viro est formata: scilicet vt nullam in eo sensisse poenam monstraretur, & diuinam simul potentiam opus mirabile ostenderetur, quod hominis dormientis latus aperuit: nec eum tamen a quiete soporis excitauit. In quo etiam opere sacramentum Christi, & Ecclesie figuratum est. Quia sicut mulier de latere viri dormientis formata est: ita Ecclesia ex sacramentis, quae de latere Christi in cruce dormientis profluxerunt, scilicet, sanguine & aqua, quibus redimimur a poenis atque abluimur a culpis.

*Aug. ad ver-
sum 5. Psal-
56. tom. 8.*

Quod de illa costa sine extrinseco additamento facta fuit per Dei potentiam sicut quinque panes in se multiplicati sunt.

Solet etiam quaeri, Vtrum de illa costa sine adiectione rei extrinsecae facta sit mulier? Quod quibusdam non placuit. Caterum si ad perficiendum corpus mulieris Deus extrinsecum augmentum addidisset, maius illud esset quam ipsa costa. Ideoque potius de illo addito, quam de ipsa costa, mulier facta deberet dici, de qua plures accepisset substantiae partes. Restat ergo, vt de sola ipsius costae substantia sine omni extrinseco additamento, per diuinam potentiam in semetipsa multiplicata mulieris corpus factum dicatur: eo sane miraculo quod postea de quinque

que panibus à Iesu cœlesti benedictione multipli-
catis, quinque millia hominum satiata sunt. Illud
etiam scire oportet, quod cum angelorum mini-
sterio facta sit mulieris formatio, non est eis ta-
men tribuenda creationis potentia. Angeli enim
nullam possunt creare naturam, ergo nec forma-
re costam in mulierem, nec carnis supplementum
in loco costæ: non quod nihil agant, vt aliqd cree-
tur, sed non ideo creatores sunt, sicut nec agrico-
læ segetum vel arborum. Solus Deus, id est, Trini-
tas est creator. Facta est ergo fœmina à Deo, e-
tiam si costa ministrata sit per angelos.

*Vtrum secundum superiores, an secundum inferiores causas
ita facta sit mulier, id est, an ratio seminalis id haberet
vt ita fieret, an tantum vt ita fieri posset, sed vt
sic fieret, in Deo tantum esset*

causa.

Sed queritur, an ratio quam Deus primis operi-
bus concreauit, id haberet vt secundum ipsam ex
viri latere fœminam fieri necesse foret, an hoc
tantum vt fieri posset? Ad q̄ sciendum est omniũ
rerum causas in Deo ab æterno esse. Vt. n. homo sic
fieret vel equus & huiusmodi, in Dei potētia & dis-
positione ab æterno fuit. Hęc dicuntur primordia-
les causę, q̄a istas alię nō p̄cedunt, sed istę alias,
quę sunt causę causarum. Cumq; vnum sit diuina
potentia, dispositio siue voluntas, & ideo vna om-
niũ principalis causa, tamē propter effect⁹ diuer-
sos pluraliter dicit Aug. causas primordiales om-
nium rerum in Deo esse, inducens similitudinem
artificis, in cuius dispositione est, qualis futura sit
arca. Ita & in Deo vniuscuiusque rei futurę causa
p̄cessit. In creaturis vero quarundam rerum, sed
non omnium causę sunt, vt ait August. Quia in-
seruit De⁹ seminales rationes, reb. secūdū quas alia
ex aliis pueniūt, vt de hoc semine tale granũ, de
hac arbore talis fruct⁹ & huiusmodi. Et hęc quoq;
dicun-

*Ioan. 6. c.
Math. 14. b.
August. ad
principium,
ca. 15. lib. 9.
de Gen. ad
literam.
Ibid paulo
superius.*

*F August. ad
principium,
ca. 17. lib. 9.
de Gen. ad
literam.*

*Quod non
omniũ qua
sunt cause
sunt in crea-
turis.*

Aa

dicun-